Frater Philippus de Colloredo


Sacrae Domus Hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitani, et Militaris Ordinis Sancti Sepulcri Dominici humilis Magisterii Locumtenens.

Suae Celsitudini Serenissimae Dominae Dorotheae Mariae, Curlandiae, Semigalliae et Saganiae Principissae, Ducissae Saganiae in Silesia et Ducissae de Talleyrand & & salutem in Eo qui est omnium vera salus. Volentes aestimationis nostrae, gratique animi, officiorum memores signi=ficationem Celsitudini Tuae Serenissimae exhibere, ac simul augere erga Nos Sui amoris stimulum, de nostra certa scientia, motuque proprio, tenore praesentium, ut Crucem auream ad figuram habitus Ordinis nostri formatam, collo appensam, nec non Magnam Crucem linteam extremitati fasciae seu balteo serico nigri coloris assutam more Bajulivorum et Magnae Crucis Ordinis nostri procerum gestare et ubique deferre libere ac licite possis et valeas plenam facultatem concedimus, et elargimur; et Bajulivam Ordinis nostri ad honorem Te creamus. Teque omnibus indulgentiis ac gratiis spiritualibus Ordini nostro concessis, quibus fratres Nostri, aliique ordini nostro addicti utuntur, fruuntur, et gaudent, uti, frui et gaudere decernimus, et declaramus: nec non omnium missarum, orationum, piorumque Hospitalis et Militiae pro Catholicae fidei tuitione operum quae in dies a fratribus Nostris, terra, marique (Deo largiente) fient participem in Domino facimus, et omni meliori modo esse volumus. Praecipientes universis, et singulis dictae Domus nostrae fratribus, quacumque auctoritate, dignitate, officioque fungentibus, praesentibus, et futuris in virtute sanctae obedientiae, ne contra praesentes nostras concessionis, declarationis, et participationis litteras aliquatenus facere vel venire praesumant, sed eas studeant inviolabiliter observare. ——

In cujus rei testimonium Bulla Nostra communis plumbea praesentibus est appensa. Datum Romae in Conventu Nostro die decimasecunda Mensis Februarii Anno 1845 ab Incarnatione juxta stylum Nostrae Cancellariae secundum vero cursum ordinarium Millesimoctingentesimoquadragesimosexto 1846. ——

Commend.s Frater Thomas de Aquino
Ven.dae Magni Cancellarii Locumt.s

Reg.to in Cancellaria. Num.o ad Rep.ii 3356. — Comm.re Fr. Philippus Filippi Vice Cancell.rius Jot.e



Bulla

Magnae Crucis devotionis causa

pro

Sua Celsitudine Serenissima Domina
Dorothea Maria Curlandiae, Semigalliae,
et Saganiae Princip. Ducis. Saganiae in Silesia
et Ducissa de Talleyrand &c.

29

